

didis est abstracta h. ē. rebus sordidis non est præsens. Vanus autem metus est, ne rebus sordidis immisceatur, inquietur, imò planè pars earum fiat essentia divina; DEUS enim tanquam Spiritus rerum terrenarum sordibus contaminabilis non est; ad id autem, ut aliquid alterius pars fiat, minime præsentia sufficit, sed major aliqua unio requiritur.

§. 16. Objicis (5.) Nihil potest esse actu infinitum in totâ naturâ, cum omnia certum habeant actum & essentiam definitam, per quam sunt id, quod sunt & per quam ab aliis differunt. Nam ne natura quidem, et si potentia dicitur infinita, actu infinita esse potest, quia reverâ non potest accipere formas infinitas. Nec numerus ullus, nec magnitudo in actu infinita &c. E. nec Deus. Nam actu infinitum esse, & in specie hoc vel illud esse, sunt contradictoria, quia omne quod actu est, hoc aliquid in seipso finitum & ad certum quasi genus Entis contractum est. Resp. Scopæ sunt dissolutæ. Nam non opposita sunt, esse actum in essendo infinitum & certam habere essentiam. Sed opposita sunt: Esse infinitum & esse finitum, sive essentiam habere finitam. Nugatoria prorsus est collectio. Materia, Magnitudo & Multitudo non est infinita. Ergo neque DEUS. Cur non licet eodem jure argumentari: Asinus non est homo. E. nec Vorstius, cuius est hæc argumentatio.

§. 17. Objicitur (6.) Si DEUS in cœlis existens intuitivè à beatis cognoscitur, sequitur, quod in terris existens eodem modo cognoscatur, quod absurdum. Resp. iterum negatur consequentia. Quod enim DEUS in cœlis intuitivè videatur à beatis, ad id non sufficit præsentia ejus in cœlo, sed in primis requiritur lumen gloriæ seu habitus beatis infusus ad eliciendam visionem DEI, sed ut per eum scilicet habitum videre DEUM possint. Licet igitur DEUS in terris sit præsens, non tamen sequitur, eum in terris etiam

C

intui-